

SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis SSmi Redemptoris

Annus XXIV

1976

Fasc. 2

— Divo Ioanni Nepomuceno Neumann
Boemiae patriae decori
Cleri Statuum Foederatorum praeclaro sodali
Congregationis SSmi Redemptoris eximio filio
Patris S. Alfonsi fervido sectatori
Pauperum et derelictorum paracleto
Dioecesis Philadelphiensis sollerti pastori
Episcopatus americani et Ecclesiae universae fulgenti exemplari
in solemnibus canonizationibus
dicant dedicant offerunt
devoti confratres
socii redactionis et laboris

Institutum Historicum CSSR, sicut occasione beatificationis Ioannis Nepomuceni Neumann (1963) quaedam circa eum vulgavit, in praesens canonizationem fratris memorare modo sibi proprio honori ducit. Qua de re manipulum studiorum circa Sanctum confratribus, aliisque quos iuvare poterit, offert.

Delineatur primo eius vita necnon iter quo ad honorem altarium pervenit. Eduntur deinde documenta sat numerosa, plerumque ex tabulario S. Congregationis « de Propaganda Fide » deprompta, quae vitam laboriosam adversisque rebus non paucis exercitam Antistitis apprimè illustrant. Ope horum documentorum, explicationumque adiunctarum, viam ad ulteriora studia faciendam quodam modo explanatam esse speramus. Sequuntur quaedam investigationes circa themata particularia, uti sunt mors-exequiae-sepultura Sancti necnon arduum iter processus eiusdem ad beatificationem et canonizationem. In fine additur bibliographia scriptorum eius, aliorumque de eo, ab anno 1963 vulgatorum, quae est continuatio bibliographiae annorum 1860-1962, occasione beatificationis in haec folia insertae.